



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Longanimitas & patientia Dei in Passiones Christi manifestata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

ad alterius miseriam subleuandam, succurrat, siue id ex affectu beneuolentiæ & charitatis, siue alio bono sine faciat. Hæc, in homine, ente limitato, finita & limitata est; in Deo autem, ente vndeque illimitato atque infinito, itidem, vt cetera omnia, illimitata & infinita: adeò, vt nullis verbis satis explicari, nullis cogitationibus sufficienter possit comprehendî; cumq; omnem miserendi laudabilem affectum in se contineat, varijs & modis, & sententijs, à Spiritu S. in diuinis litteris, explicatur. *Dominator, Domine Deus, misericors, & clemens, patiens & multa miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera atque peccata.* Item: *Tu, Domine Deus, miserator, & misericors, patiens, & multa misericordia.* Et rursus: *Misericordia Domini plena est terra.* Ac alibi: *Suavis Dominus vniuersis, & miserationes eius, super omnia opera eius.* Cum hac misericordia coniuncta est *patientia*, qua fert iniurias sibi ab homine illatas, vt non statim vlciscatur illas, sed patienter ferat expectetque emendationem. Coniuncta est *mansuetudo*, quæ facit, vt non facilè ad iram exasperetur, aut in furorem excandescat, sed pristinam animi æquitatem retinens, benignitatem erga nos suam non abiciat. Coniuncta est & *clementia* in ignoscendo, qua hominibus pœnas commeritas, ex animi benignitate, vel minuit, vel omnino condonat. Hæc patientia, mansuetudo & clementia itidem infinita est in Deo. Quare sicut exiguum fontem, flumina, maria, immò ipsæ Diluuij aquæ superauerunt, ita excedit diuina misericordia omnem humanam infinitis interual-
lis. Cogita quamcumque voles, & quantamcumque voles misericordiæ magnitudinem, tamen vix incepisti. Capi non potest, quod est immensum, termino caret quod est infinitum.

Et quia patientiam, quam Deus à condito orbe exercuit, in hominum injurijs perferendis, ob quas meritò Mundum totum, & omnes visibiles creaturas perdere, & in nihilum redigere potuisset, nemo satis potest penetrare; Filium suum vnigenitum in terras misit, in quo, velut in speculo, & patientiam, & mansuetudinem, & clementiam, & misericordiam suam hominibus ante oculos poneret. Quantum enim is non tulit ab ijs, pro quibus tulit? *Non erat ei locus in diuersorio antè, quàm in lucem* Luc. 2. 7.

N n n n

prodiret.

II.

52 Cap. LX. *Morientium spes penitentia, & auxilij in tentationibus.*
prodiret. Sic antè cœpit pati, quàm nasci. Quanta ignominia est, Dominum domo sua excludere? Christi erat non tantùm domus omnis, sed etiam totus Mundus. Totum mundum qui homini dedit, nec angulum in domo eius impetrat. Quanta hæc ingratitude? quanta injuria? Vix natus, tamquam bestia in stabulum detruditur. Neque satis est, octavo iam vitæ die, cultro sauciatur. Mox & ad necem ab Herode queritur; in exilium pellitur; inter impios idololatrias versari cogitur. Adultus, dum circuit docendo & sanando omnes ac benefaciendo, quid non coactus est sustinere? quæ non murmurationes, detractio- nes, contradictiones, insidias Iudæorum & Phariseorum? quæ non conuicia? contumelias? Proditus est à proprio discipulo. Et is, quem tanti fecerat, Petrus eum negavit. Tamquam fur captus, tamquam seditiosus & impius, apud tot iudices, falso accusatus, irrisus, damnatus, catenis & funibus constrictus, sputis foedatus, flagellis & spinis laceratus, clavis lanceaque transossus, inter latrones, morte turpissima, tamquam perduel- lis è medio sublatus. Et cum alioquin homines etiam sceleratif- simorum in carnificina constitutorum misericordiâ tangantur; ille in ipsa cruce cachinnis & blasphemijs est appetitus. Quid in his omnibus fecit? quid dixit? non auditum ex ore eius verbum impatientiæ, non vlla vox clamosa, sed tamquam ovis coram- tondente se, non aperuit os suum. Immo aperuit os, sed, ut pro ipsis crucifixoribus suis DEVM Patrem oraret, ei que hanc ipsam patientiam, crucem, cruciatum, & mortem pro illis ipsis, à qui- bus torquebatur, offerret, & veniam omnium peccatorum im- petraret. Numquid hoc fuit summum perfectissimæ patientiæ & misericordiæ exemplar? In hoc potest patientia & clementia Numinis considerari. Quod Christus passus est semel in cruce, hoc DEVS à condito Mundo quotidie patitur in orbe. Talibus iniurijs eum afficiunt homines in cælo existentem. Et patitur, & expectat, ut se conuertant, nec quidquam magis eum delectat, quàm ut filium prodigum, post omnia bona dissipata, in gratiam recipiat. Nec quidquam ei magis aduersatur, quàm si homines de eius bonitate, cum Cain desperent; putentque suam malitiam maiorem esse, quàm DEI misericordiam; ac proinde, quia de
cælo

caelo desperant, caelum velint sibi in terra facere; neq; conentur
 vniquam vti diuinæ gratiæ auxilio, eos ad pœnitentiam, & con-
 stantiam in tentationibus vocante; & dicente: *Quare moriemini*
domus Israël? Quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus Deus, re-
uertimini, & viuite. Et rursum. *Impietas impij non nocet ei; in qua-*
cumq; die conuersus fuerit ab impietate sua. Itaque *Lauamini, mundi*
estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, & c. Si
 fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. Si nihil
 supererit de vita vestra, nisi halitus vltimus, suspirate ad me, &
 diabolum vincetis.

Si peccata & magnitudine & numero possunt definiri, ait S. Ba-
 filius, miserationes autem Dei neq; magnitudine, neq; numero possunt
 circumscribi; sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit, sed agno-
 scenda misericordia DEI, & commissa peccata detestanda. Consentit
 Chrysostomus, inquit: *Etsi quis innumeris peccatis sit sauciatus,*
si eorum pœniteat, & bonum agat, ita DEVS omnia abolet, vt nullum
eorum vestigium appareat. Et alio loco: *Nolo dicas: blasphemus sum:*
nolo dica: persecutor sum; immundus sum: Habes omnium ostensione.
Vis in nouo? vis in veteri? In veteri David, in nouo Paulus. Nolo
 excusationes mihi afferas: nolo ignaniam prætendas. *Peccasti? pœni-*
tere. Millies peccasti? millies pœnitere. Hac assidue infundo medica-
 menta, & c. Si lapsus es, poteris surgere. In utramvis partem habes
 liberum arbitrium. Si vulneratus es, adhibe tibi curam, dum visis,
 dum spiras: etiam in ipso lecto positus; etiam, si dici potest, animam
 efflans, vt iam de hoc mundo exeas. Non impeditur temporis angustia,
 misericordia DEI. *Quid enim est peccatum, ad Dei misericordiam, &*
reela aranea, qua, vento flante, nusquam comparet. Accedit & Hie-
 ronymus, cuius ista sunt: *Numquam sera est conuersio. Laro de*
cruce transijt ad Paradisum. Nabuchodonosor rex Babylonis, post
efferationem corporis, & cordis, mentem recipit humanam. Confir-
 mat idem Isidorus: *Nullus desperare debet veniam, etiamsi circa*
finem vita ad pœnitentiam conuertatur. Vnumquemque enim DEVS
de suo fine, non de vita prætedita iudicat. Ac denique Cyprianus
 ita scribens: *Sed & in eodem articulo temporis, cum iam anima*
festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerferit, pœni-
tentiam clementissimi DEI benignitas non aspernatur: nec seruum est,

Ezech. 18. 32.

Ezech. 33. 12.

Isa. 1. 16.

IPP.

S. Basil. in
 reg. breuior-
 rib. q. 13.

S. Chrysost.
 proem. 1. in
 Isaiam.
 Idem. hom. 2.
 in Psal. 50.

S. Hieronym.
 epist. 7. 25. &
 48. ad Latū.

Isidor. lib. 2.
 cap. 24.

S. Cyprian.
 serm. de cen.
 Domini.